



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sancti Bonaventuræ Episcopi Cardinalis Albanensis,
Seraph. Doctoris Ecclesiæ, Speculum Disciplinæ, Et
Profectus Religiosorum: Libelli ad pietatem vtilissimi**

**Bernardus <de Bessa>
Bonaventura <Heiliger>**

Antverpiæ, 1591

De sanitate animæ. Cap. VIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53148](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53148)

Quintus processus.

CAP. VII.

QUINTVS modus est, qui etiam quintus Quintus processus. religionis processus est, singulis vitiōrum processus. tētionibus, singularib⁹ remediis mederi. Hic potest status curationis vel remediorum spiritualium dici, quo cura diligens morbis vitiōrum adhibetur, vt ad statum sanitatis perueniatur, de quibus remediis, quia in præcedentibus dictum est, hīc non est opus repetere. Ea autem diligentia debet quisque studere Quanta cura agris corporib⁹, tanta, imō maior est animis vitiōsis adhibenda. remedia animæ suæ perquirere, & sanandis spiritualibus morbis vitiōrum inuigilare, quæ lethali morbo laborans medicum qui eum curare posset inquireret. Et tanto diligentius cura animabus curandis adhibenda est, quanto animarū morbus periculosior est, & cura difficilior, & sanitas præstantior animæ quàm corporis morituri. In quantum verò plus de corporis sanitate sumus quàm de animæ salute solliciti, in tantum conuincimur illud plus diligere, & eius sanitatem amplius desiderare.

De sanitate animæ.

CAP. VIII.

SANITAS corporis consistit in integritate membrorum & sensuum, & in ordinata qualitate humorum, & vigore spirituum. Sanitas animæ consistit in recta & circumspecta actione, in cautæ locutionis obseruatione, in rectitudine volūtatis, in ordinatione affectionis, & utilitate cogitationis.

De